Quaestiones Xenophonteae:

De Hellenicorum atque Agesilai necessitudine.

Dissertatio inauguralis,

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum ordinis in universitate Friderica Guilelma Silesiaca ad summos in philosophia honores rite capessendos scripsit

Alfonsus Opitz

Silesius

Die XIII mensis Decembris a. MCMXII hora $12\,^3/_4$ disseret doctorandus in aula musica
De veterum litteris biographicis.
Deinde erit promotio.

Vratislaviae
M. & H. Marcus
MCMXII

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit
Richardus Foerster.

Dissertatio integra propediem prodibit in commentationum
quae inscribuntur
Breslauer Philologische Abhandlungen
fasciculo 46.

Examen rigorosum habitum est die III mensis Iulii
anni MCMXII.

Richardo Foerster

sacrum

Unicum fere in litterarum historia singularis necessitudinis exemplum est, quod inter Xenophontis Hellenica atque Agesilaum intercedit. Utrumque librum legenti magnas alterius libri partes cum altero plerumque verbis congruere primo obtutu conspicuum est. Quamvis scriptores veteres iterationes neque ex aliorum scriptorum neque e suis ipsorum libris sumptas reformidasse constet, tamen non inveniuntur, qui id per spatium tam diffusum fecerint quam Xenophon in illis duobus libris. Itaque haec res causa multarum erat controversiarum eorum, qui haec scripta examinare atque comparare adorti sunt. Primus postquam Valckenarius his iterationibus maxime commotus Xenophontem esse Agesilai auctorem negavit, multi viri docti novis argumentis, quae se invenisse existimabant, per multos annos hanc sententiam tutati sunt. Nostris demum diebus quamquam omnes fere veterum memoriam secuti Agesilai laudationem a Xenophonte conscriptam consentiunt, tamen eorum de ratione ac de temporibus utriusque libri sententiae inter se valde discrepant.

Cum autem haec quaestio usque ad hunc diem tacta quidem in aliarum rerum nexu, nondum autem peculiari ratione tractata sit, utile fore putavi eam ab omni parte perscrutari. Quod optime me facturum esse arbitratus sum, si primum quidem locos in utroque libro congruentes singillatim tractarem et praecipue in causas discrepantiarum inquirerem, tum quae ex his comparationibus de indole illorum librorum ac de temporibus sequerentur, concluderem.

I.

Xenophontem exemplo Hellenicorum manu scripto usum laudationem Agesilai conscripsisse probatur quoque modo id fecerit, demonstratur.

Necessitudo Hellenicorum atque Agesilai, ut hic paucis verbis exponam, ita explicanda est: idem chirographum ad diversa consilia usurpatum est; principio Hellenicis edendis destinatum erat, in ipso autem hoc opere componendo ad alium libellum, Agesilai laudationem, conscribendum atque edendum adhibitum est. Idem igitur chirographum ad diversas scriptiones usurpatum est: et ad laudationem et ad historiam. Plane cognoscere ac persequi possumus, quemadmodum Xenophon ad Hellenicorum exemplum manu scriptum in Agesilao se applicaverit, quemadmodum ea, quae ad laudationem apta videbantur, transtulerit, ea, quae non apta erant, praetermiserit, denique quaecumque prioris formae in laudationem quadrare non videbantur, accommodata ratione commutaverit sive causis rhetoricis commotus sive propterea, quod natura laudationis commutatam rerum gestarum descriptionem poscebat.

Laudatione confecta atque edita Xenophon Hellenica continuabat ac finiebat rebus gestis usque ad annum 362 narratis, ea autem quominus ederet morte prohibitus est. Itaque Hellenica, qua forma hodie sunt, re vera nisi imaginem primi chirographi — si interpolationes quasdam, quae temporum decursu in textum irrepserunt, excipimus — non praebent.

Hanc sententiam confirmare studebo atque ostendam, quemadmodum Xenophon maxime artibus rhetoricis in laudatione, quae ad genus *ἐπιδείξεως* pertinet, adhibitis Hellenicorum chirographum usurpaverit [1]).

Quibus praemissis nos convertamus ad partes congruentes explicandas causasque singularum discrepantiarum exponendas.

---

[1]) Usus sum editione Historiae Graecae Kelleriana (Lips. 1890) et Agesilai Thalheimiana (Lips. 1910).

Xenophon in primo alteroque capite Agesilai vitam resque gestas inde a primo regni die usque ad mortem narrat.

Ages. cap. I:

Res ab Agesilao in Asia gestae enarrantur.

Xenophon, postquam nobile Agesilai genus eiusque civitatem egregiam laudavit, in § 5, quibus difficultatibus rex factus sit, leviter tangit, id quod in libro Hellenicorum manu scripto copiose descripserat: Hell. III 3, 1—3, ubi Leotychidam et Agesilaum de regno certavisse certamenque per Lysandrum Apollinis oraculum recte interpretatum ita, ut Agesilaus rex fieret, disceptatum esse narratur.

Quae res in Hell. III 3, 4—11 sequuntur descriptae, sacrificium sinistrum et Cinadonis coniuratio, in Agesilao non commemorantur, quod laudationi aptae non sunt. Paulatim autem Xenophon filum Hellenicorum narrationis in Agesilao recipit, quod inde a § 7 tenaciter persequitur.

Iam res ab Agesilao in Asia gestae narrantur verbis ad Hellenicorum narrationem artissime accedentibus.

In Hell. III 4, 1 Herodam quendam nuntiare regem Persarum magnam classem instruere satis copiose narratur; in Ages. § 6 paucis verbis dicitur: *ἐξηγγέλθη βασιλεὺς ὁ Περσῶν ἀθροίζων καὶ ναυτικὸν καὶ πεζὸν πολὺ στράτευμα ὡς ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας.* Et tamen in Agesilao additamentum legimus: Hellenicorum loco de peditibus armandis nihil comperimus, sed de classe sola; eodem Hellenicorum loco nihil legimus, contra quos belli apparatus directi sint. Unde Xenophon verba in Agesilao *καὶ πεζὸν πολὺ στράτευμα ὡς ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας* sumpsit? Respexit res gestas quae sequebantur, e quibus elucebat Persarum regem etiam copias pedestres coegisse, ut contra Graecos proficisceretur, et nisus loco Hell. III 4, 6 *στράτευμα πολὺ παρὰ βασιλέως πρὸς ᾧ εἶχε πρόσθεν μετεπέμπετο* scripsit *ἀθροίζων . . . καὶ πεζὸν πολὺ στράτευμα ὡς ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας.*

Iam loci iisdem verbis expressi sequuntur, qui per singulas paragraphos ita dispertiti sunt:

Hell. III 4		Ages. I
§ 2 a	=	7 a
2 b—6 a	=|=	7 b—10 (=|= significat: non congruit cum)
6 b	=	11
7—10	=|=	12
11—12	=	13—16
13—15 a	=|=	17—22
15 b—25	=	23—35.

Iam inspiciamus primum locum congruentem:

Hell. III 4, 2	Ages. I 7
ἀνεπτερωμένον δὲ τῶν Λακεδαιμονίων καὶ τοὺς συμμάχους συναγόντων καὶ βουλευομένων τί χρὴ ποιεῖν Λύσανδρος . . . πείθει τὸν Ἀγησίλαον ὑποστῆναι, ἂν αὐτῷ δῶσι τριάκοντα μὲν Σπαρτιατῶν . . . στρατεύεθαι εἰς τὴν Ἀσίαν.	*βουλευομένων δὲ περὶ τούτων Λακεδαιμονίων καὶ τῶν συμμάχων Ἀγησίλαος ὑπέστη, ἐὰν δῶσιν αὐτῷ τριάκοντα μὲν Σπαρτιατῶν . . ., διαβήσεσθαι εἰς τὴν Ἀσίαν καὶ πειράσεσθαι εἰρήνην ποιῆσαι.*

In laudatione persona Agesilai multo magis primo loco ponitur quam in Hellenicis. In his Lysander Agesilaum commovet, ut cum exercitu in Asiam transeat, eo consilio, ut ipse huic expeditioni intersit et *δεκαρχίας* in urbibus Asiae a se antea institutas, ab ephoris vero sublatas restituat. Quo Xenophontem in laudatione Agesilai uti non potuisse, sed Agesilaum ipsum promittentem fecisse se in Asiam transiturum esse facile intellegitur. Omnino Lysandri nomen in encomio consulto evitat, quod cum eius nomine nonnullae res haud ita laudabiles coniunctae erant[1]).

Nonne videtur ex ea re apparere formam narrationis, quae in laudatione exstat, esse posteriorem? Quamquam concedendum est id etiam in contrarium verti posse: si laudatio prior erat, Xenophon historiae scriptor eam non semper servilem in modum repetere debuit. Sed certa afferemus testimonia, quibus Hellenicorum priorem esse contextum evincatur.

---

[1]) Cf. Hell. III 4, 7—9, ubi narratur Agesilaum invidia commotum esse, ut Lysandrum in Hellespontum dimitteret.

Cur Xenophon verbum, quod exstat in Hellenicis, *στρατεύεσθαι* in Agesilao commutaverit in *διαβήσεσθαι*, statim cognoscet, qui legerit, quae in Agesilao sequuntur verba: *καὶ πειράσεσθαι εἰρήνην ποιῆσαι.* Num poterat Xenophon in Agesilao scribere *στρατεύεσθαι*, cum confestim atque quasi uno spiritu dicat *εἰρήνην ποιῆσαι*? Minime vero: *στρατεύεσθαι* a *πειρᾶσθαι εἰρήνην ποιῆσαι* valde abhorret. Itaque laudator verbum indifferens elegit *διαβαίνειν*, quod brevi post (in paragrapho quae sequitur) adhibet: *πολλοὶ ἠγάσθησαν . . . ἐπιθυμῆσαι, ἐπειδὴ ὁ Πέρσης πρόσθεν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα διέβη, ἀντιδιαβῆναι ἐπ' αὐτόν.*

Quae commutatio simul causa erat alterius: temporis scilicet verbi. Pro praesenti, quod exstat in Hellenicis, futurum scriptum videmus idque responsionis causa (*διαβήσεσθαι* — *πειράσεσθαι*), qua re homoeoteleuton exoritur efficax, illud sermonis ornamentum a rhetoribus inde a Gorgia in deliciis habitum. Idem igitur tempus, idem finis. Complures encomii loci exstant, quibus aliter atque locis Hellenicorum homoeoteleuton est usurpatum neque nisi ex hoc discrepantiae possunt explicari.

Ad hanc rem confirmandam id quoque facit, quod Xenophon in Agesilao illo ornamento rhetorico, ubicumque fieri potuit, usus est. Cuius rei exempla haec affero:

I 3	*πρωτεύουσιν*	—	*ἡγεμονεύουσιν*
I 19	*χρηματίζοιντο*	—	*γίγνοιντο*
I 31	*παρείη*	—	*ἀπείη*
II 4	*ἡλίσκοντο*	—	*ἐγένοντο*
II 8	*φαίνοιντο*	—	*γίγνοιντο*
II 29	*ἀποδώσειν*	—	*ἐλευθερώσειν*
III 1	*προσδεῖται*	—	*πιστεύεται*
V 1	*λαιμαργίας*	—	*ἁμαρτίας*
V 3	*ἠγάλλετο*	—	*προσίετο*
V 6	*κρατεῖν*	—	*ἀπιστεῖν*
VI 3	*ἐστήσατο*	—	*ἐστρατεύσατο*
VI 4	*οὖσα*	—	*παροῦσα*
VI 5	*δυναμένους*	—	*ἀναγκαζομένους*
	δέοι	—	*συμφέροι*
VI 6	*ἴοι*	—	*ποιήσοι*
	ὑπερβαίνων	—	*κλέπτων*

VII 1	ὑφίετο	—	ἀφίστατο
	ἐφείδετο	—	προὐφασίζετο
VII 2	μειονεκτεῖν	—	ποιεῖν
VII 3	ἐθέλων	—	νομίζων
VII 7	ποιήσειν	—	πολεμήσειν
	ἀποστήσεται	—	δυνήσεται
VIII 1	ἐπιβουλευομένης	—	ἀγαπωμένης
VIII 2	πλησιάζειν	—	διημερεύειν
IX 1	ἐσεμνύνετο	—	ἠγάλλετο
	πρέπειν	—	παρέχειν
IX 3	περιέρχονται	—	τεχνῶνται
	πίοι	—	φάγοι
XI 2	ὑπερεφρόνει	—	ᾔδει
XI 3	ἠσπάζετο	—	ἠμύνετο.

In aliis quoque scriptis Xenophontem figuram homoeoteleuti adhibuisse etsi non tam saepe ostendit Wissmannus [1]).

Subsequitur in Hell. III 4, 3 et 4 Agesilai in Asiam ipsa profectio: Agesilaum Agamemnonem imitatum Aulide sacrificare conatum a Boeotis quominus id faceret impeditum esse narratur. Quae omnia Xenophon in Agesilao consulto praetermisit, et quia, ut Hagenus [2]) recte iudicat, intellegebat „talem Agamemnoneae gloriae affectationem magis pusilli quam magni esse animi minimeque in tanti viri encomion quadrare", et quod eventus totius rei omni laude carebat.

Pro narratione in encomio praetermissa laudes Agesilai insertae sunt, quae pertinent usque ad § 10: Agesilaus valde collaudatur, quod in hostium terram proficisci ibique pugnare maluit quam illorum exspectare impetum. Quae periodo climace efficacissima rhetoricum in modum constructa proferuntur:

§ 8 εὐθὺς μὲν πολλοὶ πάνυ (alliteratio) ἠγάσθησαν αὐτὸ τοῦτο ἐπιθυμῆσαι, |

ἐπειδὴ ὁ Πέρσης πρόσθεν ἐπὶ (allit.) τὴν Ἑλλάδα διέβη, | ἀντιδιαβῆναι ἐπ᾿ αὐτόν (chiasmus)

---

[1]) De genere dicendi Xenophonteo deque prioris Hellenicorum partis condicione quaestiones selectae. Diss. Giess. 1888.

[2]) De Xenophonteo qui fertur Agesilao. Diss. Bern. 1865, p. 14.

I τό τε αἱρεῖσθαι ἐπιόντα μᾶλλον ἢ ὑπομένοντα μάχεσθαι αὐτῷ |
II καὶ τὸ τἀκείνου δαπανῶντα βούλεσθαι μᾶλλον ἢ τὰ τῶν
Ἑλλήνων πολεμεῖν, |
III κάλλιστον δὲ πάντων ἐκρίνετο
μὴ περὶ τῆς Ἑλλάδος,
ἀλλὰ περὶ τῆς Ἀσίας
τὸν ἀγῶνα καθιστάναι.

Sententiae vere Xenophonteae, quas in aliis scriptis compluries invenimus prolatas; confer, ut unum exemplum afferam, Cyrop. III 3, 14 sq. ἡμῖν γὰρ δοκεῖ πᾶσιν, ἐπείπερ παρεσκευάσμεθα, μὴ ἐπειδὰν ἐμβάλωσιν οἱ πολέμιοι εἰς τὴν σὴν χώραν, τότε μάχεσθαι μηδ' ἐν τῇ φιλίᾳ καθημένους ἡμᾶς ὑπομένειν, ἀλλ' ἰέναι ὡς τάχιστα εἰς τὴν πολεμίαν. 15. νῦν μὲν γὰρ ἐν τῇ χώρᾳ ὄντες πολλὰ τῶν σῶν σινόμεθα ἄκοντες· ἢν δ' εἰς τὴν πολεμίαν ἴωμεν, τὰ ἐκείνων κακῶς ποιήσομεν ἡδόμενοι.

Eiusmodi sententias vere Xenophonteas statim hoc Agesilai loco inveniri, quo modo simplicius explicetur, quam ita, ut Xenophontem ipsum laudationis auctorem esse statuamus? Cuius rei testimonia infra afferemus etiam certiora.

Xenophon cum in Agesilai § 10 ad res ipsas a rege in Asia gestas describendas esset iturus, in chirographo Hellenicorum (III 4, 5 et 6) narrationem foederis cum Tissapherne facti primo invenit. Hoc quoque loco nonnulla ei commutanda erant. Ne laudationis partem historicam nimis extenderet, longa de Agesilai cum Tissapherne colloquio narratio erat magnopere decurtanda. Cuius pulchra antithesi Gorgiano modo rhetorice exornandae occasionem non praetermisit:

Τισσαφέρνης μὲν ὤμοσεν Ἀγησιλάῳ, |
εἰ σπείσαιτο, ἕως ἔλθοιεν οὓς πέμψειε πρὸς βασιλέα ἀγγέλους, |
διαπράξασθαι αὐτῷ ἀφεθῆναι αὐτονόμους τὰς ἐν τῇ Ἀσίᾳ
πόλεις Ἑλληνίδας, ||
Ἀγησίλαος δὲ ἀντώμοσε |
σπονδὰς ἄξειν ἀδόλως |
ὁρισάμενος τῆς πράξεως τρεῖς μῆνας.

Sed etiam nova est in Agesilao adiectio ὁρισάμενος τῆς πράξεως τρεῖς μῆνας, quam in Hellenicis, qua forma nobis tradita sunt, frustra quaeris. Attamen mihi quidem persuasum est id in

Hell. III 4, 5 exstitisse, quo loco in codicibus maior lacuna exstat: *Εἰ τοίνυν θέλεις σπείσασθαι, ἕως ἂν ἐγὼ πρὸς βασιλέα πέμψω, οἶμαι ἄν σε ταῦτα διαπραξάμενον ἀποπλεῖν, εἰ βούλοιο. Ἀλλὰ βουλοίμην ἄν, ἔφη, εἰ μὴ οἰοίμην γε ὑπὸ σοῦ ἐξαπατᾶσθαι. Ἀλλ' ἔξεστιν, ἔφη, σοὶ τούτων πίστιν λαβεῖν ἦ μὴν ἀδόλως* . . . (hic lacuna est) . . . *σοῦ πράττοντος ταῦτα ἡμᾶς μηδὲν τῆς σῆς ἀρχῆς ἀδικήσειν ἐν ταῖς σπονδαῖς.* Inde a verbis *Ἀλλ' ἔξεστιν κτλ.* Tissaphernes loqui incipit. Sed verba *σοῦ πράττοντος* imprimisque *τῆς σῆς ἀρχῆς* ad Tissaphernem solum pertinere possunt. Quomodo lacuna est explenda? Tissaphernes Agesilao pollicetur se regi Persarum commendaturum id quod Agesilaus postulet, et legatos ad regem missurum esse, si indutias conservet. Agesilaus se paratum dicit, diffidit autem Tissapherni. Qui Agesilao se fidem datam conservaturum esse promittit. Subsequi necesse est Agesilaum respondere semet ipsum quoque fidem servaturum esse. Itaque nonnulli viri docti hanc sententiam inseruerunt: Cobetus [1]) et huius immemor Hartmanus [2]) inseruerunt: *ἐμὲ ταῦτα πράξειν. Καὶ σοὶ δέ, ἔφη, ἔξεστι παρ' ἐμοῦ πίστιν λαβεῖν ἦ μὴν ἀδόλως* . . . Et tamen aliquid desideramus. Itaque iam Madvigius [3]) plura hic excidisse suspicatus est. Recte. Nonne mirum est non constitui, quo tempore missio legatorum fiat? Num potuit contentus esse Agesilaus tam incerta condicione '*ἕως ἂν ἐγὼ πρὸς βασιλέα πέμψω*'? Pro certo puto hoc loco principio scriptum fuisse Agesilaum postulavisse, ut reditus legatorum intra tres menses fieret. Tali ratione simplicissimum in modum explicatur, qua via verba *ὁρισάμενος τῆς πράξεως τρεῖς μῆνας* in laudationem venerint.

In Hell. III 4, 6 Tissaphernes Herippidae, Dercylidae, Megillo legatis iusiurandum dat, qui vice Agesilai functi iurant; in laudatione facile intellegitur Agesilaum solum agere nominibus aliorum non allatis.

Ages. § 11 cum altera parte Hell. III 4, 6 nonnullis commutatis consentit:

---

[1]) In editione Hellenicorum (1862).

[2]) Analecta Xenophontea (1887), p. 332.

[3]) Adversaria critica ad scriptores Graecos. Hauniae 1871, p. 339.

Hell. III 4, 6	Ages. I 11
ὁ μὲν δὴ Τισσαφέρνης ἃ ὤμοσεν εὐθὺς ἐψεύσατο, ἀντὶ γὰρ τοῦ εἰρήνην ἔχειν στράτευμα πολὺ παρὰ βασιλέως πρὸς ᾧ εἶχε πρόσθεν μετεπέμπετο· Ἀγησίλαος δὲ καίπερ αἰσθανόμενος ταῦτα ὅμως ἐνέμενε ταῖς σπονδαῖς.	ὁ μὲν δὴ Τισσαφέρνης ἃ ὤμοσεν εὐθὺς ἐψεύσατο, ἀντὶ γὰρ τοῦ εἰρήνην πράττειν στράτευμα πολὺ παρὰ βασιλέως πρὸς ᾧ πρόσθεν εἶχε μετεπέμπετο· Ἀγησίλαος δὲ καίπερ αἰσθόμενος ταῦτα ὅμως ἐνέμεινε ταῖς σπονδαῖς.

Εἰρήνην ἔχειν commutatum est in *εἰρήνην πράττειν*, quod verbum *πράττειν* in hoc contextu multo aptius est[1]). Laudator, quem, ubicumque fieri potuit, amplificandi studiosum videmus, verbo indifferenti *ἔχειν* contentus non fuit, sed illud verbum elegit, quo vis ac gravitas loci quam efficacissime augetur. Praeterea hac commutatione effectus soni valde amplificatur; si totam sententiam perlegeris, Xenophontem hic invenies ludentem littera *π*, quae tota paragrapho cum sola tum coniuncta cum littera *ρ* praevalet: *ἀντὶ γὰρ τοῦ εἰρήνην πράττειν στράτευμα πολὺ παρὰ βασιλέως πρὸς ᾧ πρόσθεν εἶχε μετεπέμπετο.* Magnum huius quoque ornamenti rhetorici studium in Agesilao apparet, id quod ex multis commutationibus eius gratia factis colligere possumus. Sane quidem etiam in Hellenicis[2]) et in ceteris scriptis Xenophonteis hic illic alliteratio invenitur; non vero Xenophon illic eam tam consulto appetiisse videtur, quam in Agesilao id factum observamus. Huc accedit, quod in Agesilao per parvum spatium tot alliterationes cumulantur, quot fortasse in omnibus Hellenicorum libris non inveniuntur. Qua re vis observationis supra factae admodum firmatur. Iam magna ex copia nonnulla quidem liceat afferre exempla:

I 8 iam supra (p. 7) alliterationem litterae *π* observavimus.

I 10 *ἥδε πρώτη πρᾶξις ἐγένετο*, ubi certo alliterationis causa adhibita est vox *πρᾶξις* pro usitata *ἔργον* (cf. I 6 *ἀπὸ γὰρ τῶν ἔργων κτλ.*).

[1]) Cf. VII 7 *εἰρήνην δὲ συμπράττει.*

[2]) Maxime conspicua alliteratio videtur esse VI 3, 10 *ταῦτα εἰπὼν σιωπὴν παρὰ πάντων ἐποίησεν.*

I 12 ἐμοὶ οὖν τοῦτο πρῶτον καλὸν δοκεῖ διαπράξασθαι, ὅτι Τισσαφέρνην μὲν ἐμφανίσας ἐπίορκον ἄπιστον πᾶσιν ἐποίησε.

I 17 . . . διαπράξασθαι ὅτι ἐπεὶ πόλεμος προερρήθη.

I 18 . . . ὁπόσου τι πρίαιντο προΐεσθαι τὰ χρήματα, ὥστε οὐδὲν προτελέσαντες οἱ φίλοι αὐτοῦ . . . πάντες παμπληθῆ χρήματα ἔλαβον.

I 20 πρᾳότητι προσάγεσθαι.

I 22 ὁπόσας δὲ πόλεις προσαγάγοιτο.

I 31 ἔνθα δὴ ὁ Ἀγησίλαος γιγνώσκων ὅτι τοῖς μὲν πολεμίοις οὔπω παρείη τὸ πεζόν.

I 34 τοὺς μὲν πρόσθεν προσκυνεῖν.

I 37 ὅστις παραλαβὼν πάσας πόλεις.

II 8 ἐλπίδων γε μὴν πάντας ἐνέπλησεν ὡς πᾶσι πολλὰ κἀγαθὰ ἔσοιτο.

II 24 πολλῶν δὲ περιοικίδων πόλεων.

II 27 ἀπέπεμψαν αὐτὸν οἴκαδε προπομπὴν δόντες μεγαλοπρεπῆ.

II 28 τῷ Πέρσῃ πολεμεῖν καὶ πολλοὺς μὲν πεζούς, πολλοὺς δὲ ἱππέας, πολλὰ δὲ χρήματα. Simul vides hoc loco exemplum anaphorae, quam a Xenophonte in Agesilao saepe adhibitam (cf. p. 21) causam esse nonnullarum ab Hellenicis discrepantiarum infra videbimus.

Insigne alliterationis exemplum est V 6: ἐγὼ μὲν δοκῶ εἰδέναι | ὅτι πολὺ πλέονες τῶν πολεμίων | ἢ τῶν τοιούτων δύνανται κρατεῖν. Cuius periodi in alio colo alia alliteratio est.

Maxime autem perspicuus est locus Ages. VIII 3 ὃς καὶ πρὸς τοὺς διαφόρους ἐν τῇ πόλει ὥσπερ πατὴρ πρὸς παῖδας προσεφέρετο.

Sed revertamur ad locum (§ 11), unde profecti sumus! Qua de causa Xenophon verborum in Hellenicis ordinem πρὸς ᾧ εἶχε πρόσθεν commutavit in hunc ordinem πρὸς ᾧ πρόσθεν εἶχε? Haec inversio fortuito a scriptore invito an opera librarii facta est? Nescio quidem certam causam, sed suspicor. Ordine inverso efficitur, ut hiatus verborum in Hellenicis ordine

ortus vitetur. Sed idne erat in Xenophontis animo atque consilio? Quam ad rem diiudicandam necesse est nos quaerere, quaenam in Agesilao hiatus sit ratio, utrum Xenophon eum admiserit necne.

In universum quidem observari potest Xenophontem in Agesilao ad hiatum vitandum animum magnopere non intendisse omniumque concursum non veritum esse vocalium, ut iam Benseler[1]) observavit. Priusquam ad ipsam rem tractandam accedamus, praefari nos oportet vocales sine accentu, quae elidi possunt, et articulum (veluti *τοῦ ἑταίρου*) hiatum non efficere et vocularum monosyllabarum *καί*, *ἤ* vocumque *ὅτι*, *ἔτι* hiatum etiam a scriptoribus hiatus vitandi studiosissimis admissum esse. Admitti igitur potest hiatus, qui exstat, ut exemplo utar, I 3 *ὥστε οὐ* vel I 4 *οὔτε ὀλιγαρχία* etc.[2]). Non minus admitti potest hiatus, si inter verbum, quod vocali finit, et verbum, quod vocali incipit, finis sententiae aut coli rhetorici interest[3]). Itaque hiatus excusari potest, qualis exstat I 5: *ἐρισάντων περὶ τῆς ἀρχῆς Λεωτυχίδα μὲν ὡς Ἄγιδος ὄντος υἱοῦ, Ἀγησιλάου δὲ ὡς Ἀρχιδάμου.* Minuitur hiatus, si dipthongus antecedit, cuius littera finalis *ι* est (*αι*, *ει*, *οι*), cum haec littera ut consonans sentiatur (cf. I 1 *τυγχάνοι ἐπαίνων*; I 4 *προτετιμῆσθαι αὐτούς* etc.); cuius generis hiatus in Agesilao circiter 150 locis exstant.

Quae omnia etiamsi concedimus, tamen in Agesilao sane satis frequens numerus hiatuum est, qui nullo modo excusari possunt. Eiusmodi omnino inveniuntur

post	*α*	27	locis
„	*η*	26	„
„	*ω*	35	„
„	*ου*	47	„
„	*υ*	4	„
„	*αυ*	1	loco.

[1]) De hiatu in scriptoribus Graecis. Friberg. 1841, p. 197.

[2]) Cf. I 22 *μήτε ὑπὸ κυνῶν μήθ᾽ ὑπὸ λύκων*: nihil interest inter scribendi rationem *μήτε ὑπὸ* et *μήθ᾽ ὑπό*; in loquendo littera *ε* utique elidenda est.

[3]) Cf. Kaibel, Stil und Text der *πολιτεία Ἀθηναίων* des Aristot., p. 12: „Die Vokalhäufung stört eben nur die atemlos dahinfliessende, nicht die durch Atemholen so wie so unterbrochene Rede“.

Quae tabula Xenophontem hiatum in Agesilao persaepe admisisse ostendit. Quin etiam quibusdam locis hiatus adeo cumulantur, ut scriptorem credas de hiatu vitando certas omnino non sequi regulas.

Et tamen in quibusdam vocibus adhibendis Xenophontem in Agesilao fugae hiatus constanter studuisse clare cognoscitur. Ita in codicibus littera finalis vocis *ἀλλά* semper elisa est, ubi vocis subsequentis prima littera vocalis est, id quod 25 locis factum est: I 2; 3 (bis); 21; 29; 36; II 6; 11; 12; 13; 21; III 1; IV 4; V 1; 2; VI 2; 3; VII 5; 7; VIII 1; 4; 5; X 2; XI 3; 9. Qua ex re concludi potest Xenophontem in hac voce ad hiatum vitandum maxime animum intendisse.

Eandem hiatus fugam constantem in praepositionum usu observare possumus. Etiam hac in re littera finalis praepositionis, ubicumque fieri potuit, elisa est. Quam ob rem id factum sit, nemo nescit: praepositionis cum vocabulo artissime iungendae causa[1]. Tales elisiones in encomio — uno excepto loco — semper (43 locis) factae sunt. Sola elisio non exstat VIII 8 *καὶ ὑπὸ χρημάτων καὶ ὑπὸ ἡδονῶν καὶ ὑπὸ φόβου*. Quare hoc loco *ο* non elisum sit, facile intellegitur: scilicet ne anaphora plena vocabulorum *καὶ ὑπὸ* ter repetitorum disturbetur.

Sed missis his omnibus etiam alibi in Agesilao partes magnae sunt omnibus hiatibus liberae gravioribus. E quibus satis apparet Xenophontem data occasione consilio hiatum effugisse. Cui rei exemplo sit descriptio vividissima pugnae Coronensis confecta summa cum subtilitate rhetorica, quae veluti in rem praesentem perducere legentes videatur: II 14 (v. infra). Tales loci gravibus hiatibus vacui in encomio sunt complures. Itaque suspicor Xenophontem illo quoque loco (§ 11), ut hiatum evitaret, ordinem verborum invertisse.

Reliqua omnia ornamenta rhetorica Xenophon in universum videtur vitando hiatui praetulisse. Quaecumque ei videbatur res ad descriptionem efficacem faciendam aptior fortiorque, ea utebatur hiatus ratione non habita. Confer exempli causa I 1: *διὰ τοῦτο οὐδὲ μειόνων ἂν τυγχάνοι ἐπαίνων*. Vocem *ἐπαίνων*,

---

[1]) Quae res ad discrepantiam quandam (Hell. IV 3, 6 *περὶ αὐτὸν* : Ages. II 3 *ἀμφ' αὐτὸν*) infra explicandam magni erit momenti.

quod in hac maxima inest gravitas, scriptor in fine ponit nihil curans hiatum verborum ordine τυγχάνοι ἐπαίνων exortum, qui vitatus esset verbis sic collocatis: οὐδὲ μειόνων ἐπαίνων ἂν τυγχάνοι. Eandem causam videre licet I 10: ἕως ἔλθοιεν οὓς πέμψειε πρὸς βασιλέα ἀγγέλους. Verborum ordo ἕως ἔλθοιεν οὓς ἀγγέλους πέμψειε πρὸς βασιλέα hiatu caruisset, minore autem fuisset vi. Ibidem si ita posita essent verba: αὐτῷ διαπράξασθαι τὰς ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεις Ἑλληνίδας αὐτονόμους ἀφεθῆναι, hiatus deesset. Hic quoque Xenophon verba διαπράξασθαι et τὰς . . . πόλεις, in quibus maxima inest vis atque gravitas, iis sententiae locis, qui maxime oculis et auribus expositi sunt, collocat: in initio et in fine nulla hiatus ea re exorti ratione habita: διαπράξασθαι αὐτῷ ἀφεθῆναι αὐτονόμους τὰς ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεις Ἑλληνίδας. Eiusmodi exempla multa sunt.

Hiatus alia causa exortus hic est: I 23 πολεμεῖν δέοι αὐτόν, quo loco hiatus factus est numeri gratia. Quo verborum ordine Xenophon efficit finem numerosum versu Adoneo adhibito, quem in Agesilao invenis persaepe usurpatum (cf. p. 20). Hellenicorum autem locus (III 4. 15) voce αὐτόν omissa hiatu caret.

Aliud est exemplum II 2 ἐκακούργουν οὗτοι ἐφεπόμενοι, ubi homoeoteleuto adhibito hiatus exortus est, cum Hellenicorum locus (IV 3, 3) αὐτὸν ἐπακολουθοῦντες sine hiatu sit. Idem etiam multis aliis locis observare possumus Xenophontem Hellenicorum textu commutato hiatum in laudationem intulisse sive alicuius figurae rhetoricae gratia sive ut rem in Hellenicis narratam corrigeret. Cuius rei exempla cum alii loci sunt tum hi: I 27. I 29. I 30. I 32. II 4. II 5. II 11 (bis), qui omnes suo quisque loco tractabuntur.

Quae tota hiatus in Agesilao tractatio ad Gorgiae rationem optime quadrat, quem Xenophon in Agesilao, ut Seyffertus [1]) recte ostendit, multis modis imitatus est. Namque etiam Gorgias hiatum in omnibus scriptis admisit, in Palamede demum ad eum aliqua ex parte vitandum animum intendit. Eius Epitaphius plenus est hiatuum [2]).

Quae cum ita sint, mirum est, quomodo fieri potuerit, ut

[1]) De Xenophontis Agesilao quaestiones. Diss. Gotting. 1909, p. 43 sqq.
[2]) Cf. Benseler, l. l. p. 167 sq.

nonnulli viri docti Xenophonti abrogantes laudationem a discipulo quodam dicerent Isocratis esse conscriptam[1]), quem hiatum diligentissime constantissimeque et ipsum vitavisse et discipulos ad idem instituisse inter omnes constat.

Quibus expositis revertamur ad § 11. In qua duae commemorandae sunt ab Hellenicis discrepantiae: pro imperfecto (vel plusquamperfecto) exstat in Agesilao aoristus. Haec temporum commutatio etiam aliis Agesilai locis, quamquam non omnibus, facta est:

Hell. III 4, 6	αἰσθανόμενος	:	Ages. I 11	αἰσθόμενος
ibid.	ἐνέμενε	:	„	ἐνέμεινε
Hell. III 4, 12	περιῆγε	:	„ I 15	περιήγαγε
„ „	ἐλάμβανε	:	„ I 16	ἔλαβε
„ III 4, 19	ἐμβάλλειν	:	„ I 28	ἐμβαλεῖν
„ IV 3, 9	ἐπορεύετο	:	„ II 5	ἐπορεύθη
„ IV 3, 21	ἐκέλευε	:	„ II 15	ἐκέλευσε
„ IV 3, 20	ἐγεγένητο	:	„ II 13	ἐγένετο
ibid.	προσενήνεκτο	:	„ „	προσηνέχθη.

Maxime animum attendas velim ad Hell. IV 3, 9 ἐπορεύετο : Ages. II 5 ἐπορεύθη et Hell. IV 3, 20 προσενήνεκτο : Ages. II 13 προσηνέχθη, quibus locis omnes dubitationes eorum, qui eas parvas codicum discrepantias esse dicunt, reiciuntur.

Quarum commutationum haec, ut puto, causa est. Encomii auctor simplex factum commemoravisse satis habet, ad quod aoristus aptus est, historiae autem scriptor contextum logicum respicere debet, quare nonnunquam tempus permutare necesse habet. Ages. I 32 a regula digredi videtur, nam imperfectum exstat ἐτρέποντο, in Hell. III 4, 23 aoristus ἐτράποντο. Sed, nisi Agesilai loco vitium codicum existimare malumus, Xenophontem credo optima causa esse commotum, ut imperfectum iterativum substitueret, ad quod verbis ipsis ὡς εἰκός cogebatur.

Pergamus! In Hellenicorum paragraphis quae sequuntur (7—10) Xenophon a proposito paululum digreditur narratione de Lysandro interiecta, quam supra (p. 4) tetigimus. In Agesilao Xenophon id praetermisit, et quod res ibi narratae non nimis

---

[1]) Veluti Hempel, De Agesilao qui fertur Xenophontis quaestiones. Berolini 1894.

erant laudabiles et quod in contextum narrationis coeptae non quadrant. Hoc quoque loco pro re, quia non apta esset, praetermissa, laudes Agesilai inseruit: verbis Hellenicorum de Tissaphernis fide laesa narrationi succedentibus Agesilaus valde collaudatur quod in iureiurando perseveraverit, quamvis ab adversario sit deceptus. Simul pulchram antithesin admiramur omnibus periodi membris pulcherrime inter se respondentibus:

ἐμοὶ οὖν τοῦτο πρῶτον καλὸν δοκεῖ διαπράξασθαι, |
ὅτι Τισσαφέρνην μὲν ἐμφανίσας
ἐπίορκον
ἄπιστον πᾶσιν ἐποίησε,
ἑαυτὸν δ' ἀντεπιδείξας
πρῶτον μὲν ὅρκους ἐμπεδοῦντα,
ἔπειτα συνθήκας μὴ ψευδόμενον,
πάντας ἐποίησε κτλ.

In Hell. III 4, 11 narratio coepta continuatur, quam Xenophon in Ages. § 13 recipit:

Hell. III 4, 11 *Ἐπεὶ δὲ μέγα φρονήσας ὁ Τισσαφέρνης ἐπὶ τῷ καταβάντι στρατεύματι παρὰ βασιλέως προεῖπεν Ἀγησιλάῳ πόλεμον . . ., οἱ μὲν ἄλλοι σύμμαχοι . . . φανεροὶ ἐγένοντο νομίζοντες ἐλάττω τὴν παροῦσαν εἶναι δύναμιν Ἀγησιλάῳ τῆς βασιλέως παρασκευῆς, Ἀγησίλαος δὲ μάλα φαιδρῷ τῷ προσώπῳ ἀπαγγεῖλαι Τισσαφέρνει τοὺς πρέσβεις ἐκέλευσεν κτλ.*	Ages. I 13 *Ἐπεὶ δὲ μέγα φρονήσας ὁ Τισσαφέρνης ἐπὶ τῷ καταβάντι στρατεύματι προεῖπεν Ἀγησιλάῳ πόλεμον . . ., οἱ μὲν ἄλλοι σύμμαχοι . . . φανεροὶ ἐγένοντο νομίζοντες μείονα τὴν παροῦσαν δύναμιν Ἀγησιλάῳ τῆς βασιλέως παρασκευῆς εἶναι, Ἀγησίλαος δὲ μάλα φαιδρῷ τῷ προσώπῳ ἀπαγγεῖλαι τῷ Τισσαφέρνει τοὺς πρέσβεις ἐκέλευσεν κτλ.*

Tissaphernes, postquam exercitum a Persarum rege accepit, Agesilao bellum indicit. In Agesilao Xenophonti verba *παρὰ βασιλέως* omittere licebat, quod paulo ante una paragrapho interiecta exstant (§ 11 *στράτευμα πολὺ παρὰ βασιλέως . . . μετεπέμπετο*); in Hellenicis autem tanta pars interest, ut repetitio illorum verborum ad intellegendum necessaria sit.

In eadem Agesilai paragrapho legimus *μείονα . . . δύνα-*

μιν, in Hellenicis ἐλάττω . . . δύναμιν. Cuius discrepantiae causa primo obtutu non tam facilis est intellectu. Comparativus μείων in Agesilao sexies invenitur (I 1. 23. II 1. 7. 24. VI 3), semel ἐλάττων: II 7, qui locus singularem poscit explicationem. Videmus igitur Xenophontem in Agesilao vocem μείων praetulisse, ea, ut veri est simile, de causa, quod haec vox ei erat magis familiaris quam ἐλάττων; μείων enim vocem in omnibus fere aliis scriptis Xenophontis invenimus praevalentem. Itaque pro certo putare licet Xenophonti illum Agesilai locum (I 13) conscribenti hanc ipsam vocem sua sponte in stilum venisse, praesertim cum iam initio laudationis (I 1) ea usus esset. Observare enim possumus Xenophontem in quarundam vocum usu sibi constare vocemque semel adhibitam per totam laudationem usurpare. Qua re explicatur, cur Xenophon hoc loco (I 13) ab Hellenicorum exemplo discesserit, scilicet ne vocem semel adhibitam variaret.

Tum in hac paragrapho ordo verborum τὴν παροῦσαν εἶναι δύναμιν in τὴν παροῦσαν δύναμιν . . . εἶναι inversus est, quod certo discerni non potest, utrum ab auctore ipso ea de causa factum sit, quod verba παροῦσαν et δύναμιν artissime coniungere voluerit, an hoc loco discrepantia codicum subsit.

Denique in eadem paragrapho exigua invenitur ab Hellenicis discrepantia, quae clarissime ostendit, qua ratione Xenophon in laudatione conscribenda elaboraverit etiam minima vocula usus, ut aliquem effectum assequeretur. Legimus in Agesilao τῷ Τισσαφέρνει, in Hellenicis articulus deest. Age inspiciamus totam sententiam: Ἀγησίλαος δὲ μάλα φαιδρῷ τῷ προσώπῳ ἀπαγγεῖλαι τῷ Τισσαφέρνει τοὺς πρέσβεις ἐκέλευσεν κτλ. Quis est quin Xenophontem hoc loco vocalem ω consulto cumulasse cernat? Sonus vocalis ω quater repetitae ei adeo placuit, ut articulo τῷ ante Τισσαφέρνει inserto effectum eius augeret. Praeterea in articulis adhibendis sibi constitit: τῷ προσώπῳ . . . τῷ Τισσαφέρνει . . . τοὺς πρέσβεις.

Proximus locus, quo uterque textus discrepat, est Hell. III 4, 12 ὁ δὲ Τισσαφέρνης: Ages. I 15 ὁ μὲν οὖν Τισσαφ. Longius legas velim, statim causam illius rei scies: responsionis

causa vocularum *μέν* et *δέ* id factum est. Namque § 16 incipit: *ὁ δὲ Ἀγησίλαος*. Et re vera altera sententia alteri contraria est, id quod voculis *μέν* et *δέ* optime exprimitur. Tissaphernes (*ὁ μὲν οὖν Τισσ.*) arbitratus Agesilaum in Cariam iter facturum esse cum copiis pedestribus eodem proficiscitur, Agesilaus autem (*ὁ δὲ Ἀγησίλαος*) *ἀντὶ τοῦ ἐπὶ Καρίαν ἰέναι* in Phrygiam se convertit. Ambae igitur sententiae particulis *μέν* et *δέ* egregie inter se sunt oppositae. Itaque hunc Agesilai locum correctionem esse exempli nemo negare poterit; ergo textus Hellenicorum prior est.

In eadem paragrapho parva commutatio est, quam figurae chiasmi gratia exortam existimo.

Hell. *ἡγεῖτο αὐτὸν ὀργίζεσθαι . . .,*
νομίσας . . . αὐτὸν ὁρμήσειν.
Ages. *ἡγεῖτο αὐτὸν ὀργίζεσθαι,*
νομίσας . . . ὁρμήσειν αὐτόν.

Qua figura rhetorica Xenophon in Agesilao non raro utitur, cuius rei affero haec exempla:

I 8 *ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα διέβη,*
ἀντιδιαβῆναι ἐπ᾽ αὐτόν.
I 12 *ἐμφανίσας ἐπίορκον*
ἄπιστον . . . ἐποίησεν.
II 1 *ὁ βάρβαρος ἐποιήσατο,*
κατήνυσεν ὁ Ἀγησίλαος.
II 15 duo chiasmi subsequuntur:
παρατάξαι . . . τὸ στράτευμα
καὶ τρόπαιον ἵστασθαι
καὶ στεφανοῦσθαι πάντας
καὶ . . . πάντας αὐλεῖν.

Denique in eadem paragrapho (I 15) aoristum *περιήγαγε* invenimus pro imperfecto *περιῆγε*, quod in Hellenicis exstat, cuius rei causam iam supra (p. 14) attulimus. Hoc ipso loco concinnitas certo multum valuit: paulo ante exstat aoristus *διεβίβασε*.

Discrepantia memorabilis in Agesilai proxima paragrapho (16) invenitur:

Hell. *τἀναντία ἀποστρέψας,*
Ages. *ἀντιστρέψας.*

Verbum *στρέφειν* cum praepositionibus coniunctum intransitivam notionem non repudiare constat, velut *ἀναστρέφειν*, *ἀποστρέφειν*, *ὑποστρέφειν* (cf. Ag. II 19). Significat igitur *ἀντιστρέφειν*: „in contrariam partem se convertere". Sane quidem id compositum hoc uno loco apud Xenophontem exstat, *τἀναντία ἀποστρέφειν* autem non raro. Qua re commotus Xenophon, quod in Hellenicis legimus *τἀναντία ἀποστρέψας*, commutavit? Causa haud ita difficilis est ad inveniendum. Credo Xenophontem cum studio verborum inusitatorum, quae in Agesilao inveniuntur permulta [1]), tum causa adventicia ad illud verbum eligendum esse commotum. Tota sententia est: *ὁ δὲ Ἀγησίλαος ἀντὶ τοῦ ἐπὶ Καρίαν ἰέναι εὐθὺς ἀντιστρέψας ἐπὶ Φρυγίας ἐπορεύετο.* Praepositione *ἀντί* quae antecedit Xenophon adductus videtur esse, ut verbum *στρέφειν* cum eadem praepositione componeret. Quae opinio confirmatur ea re, quod Xenophon in Agesilao verba eiusdem vel similis originis parvo spatio componere solet, qui usus praecipue in praepositionibus adhibendis clare apparet, veluti I 18: *καταβήσοιτο . . . κατάγων.* II 20 *συμμαχίαν . , . συστρατεύειν.* II 22 *ἐν τῷ ἐπιόντι ἔτει . . . ἐπὶ Θήβας.* V 4 *ἐπιχωρίου . . . ἐπεχείρησε.* VII 3 *πρὸς τοὺς διαφόρους . . . πρὸς παῖδας προσεφέρετο.* Ibid. *συμφορὰ συμβαίνοι.* Quae cum ita sint, nonne eo quoque loco, a quo profecti sumus, Xenophontem idem appetiisse statuemus? Praeterea commutatione hiatus vitatus est, etsi pro certo putare non licet id consilium ad illam multum contulisse. Ut dixi, verbum *ἀντιστρέφειν* hoc solo loco intransitive invenitur, quae res argumentum est, quo ostenditur Xenophontem in Agesilao artis rhetoricae gratia novis verbis uti non veritum esse.

Quae desunt in Hell. III 4, 12 verba *ἀπαντώσας δυνάμεις ἀναλαμβάνων ἦγε καὶ τὰς* in nostrorum codicum archetypo omissa esse puto. Librarium unum versum neglegentia praeterisse veri simile est, id quod verbis *καὶ τὰς* bis dictis facile fieri potuit. Itaque haec verba iam Valckenarius recte in Hellenicorum textum inseruit.

Quae deinde encomii auctor in exemplo (i. e. Hell. III 4,

---

[1]) Cf. Gust. Sauppe, Lexilogus Xenophonteus sive index Xenophontis grammaticus. Lips. 1869.

13 sq.) invenit, laudationi non apta erant. Quo loco Agesilai in Phrygiam expeditio ipsa, eius apud Dascylium res male gestae, ad mare reditus, sacrificium sinistrum narrantur. Agesilaus postquam ex illa clade cognovit se propter equitatus inopiam copiis Pharnabazi resistere non posse, consilium cepit inopiae medendi, *ὡς μὴ δραπετεύοντα πολεμεῖν δέοι*. Itaque equitatum satis magnum sibi comparare constituit.

Quae omnia in Agesilao Xenophon praetermisit. Sed narrationis lacunam etiam hoc loco explet singulas virtutes, quae ex Agesilai rebus gestis elucebant, summis laudibus efferens (§§ 17—22). Pulcherrimas in hac parte invenimus periodos plenas ornamenti rhetorici verbis elegantissimis adhibitis, antitheses, alliterationes, anaphoras, alias figuras plurimas. Sententias vere Xenophonteas hoc loco reperis; ut exemplo utar, in §§ 20 et 21 eandem legis sententiam expressam quam in Cyr. VIII 4, 7 et 8, quibus locis *ἔργα φιλανθρωπίας* valde praedicantur. Sententiam iisdem paene verbis expressam quibus in Cyr. IV 4, 5 invenimus in Ages. § 20: *γιγνώσκων δ᾽ ὅτι ἡ μὲν πορθουμένη καὶ ἐ ρ η μ ο υ μ έ ν η χώρα οὐκ ἂν δύναιτο πολὺν χρόνον στράτευμα φέρειν, ἡ δ᾽ ο ἰ κ ο υ μ έ ν η μέν, σπειρομένη δὲ ἀέναον ἂν τὴν τροφὴν παρέχοι, ἐπεμέλετο κτλ.* cf. Cyr. IV 4, 5 *ο ἰ κ ο υ μ έ ν η μὲν γὰρ χώρα πολλοῦ ἄξιον κτῆμα, ἐ ρ ή μ η δ᾽ ἀνθρώπων οὖσα ἐρήμη καὶ τῶν ἀγαθῶν γίγνεται.* Repeto, id quod iam supra dixi, auctorem laudationis, qui sententiarum Xenophontearum peritissimum se praebet, vix alium duci posse nisi Xenophontem ipsum.

Ceterum quam bene Xenophon Agesilaum in illis paragraphis summis laudibus efferens cogitationes aequalium suorum, qui rerum gestarum plerumque haud ignari erant, a pugna apud Dascylium infeliciter commissa scivit avertere! Vides, quam prudenter callideque haec omnia facta sint.

Satis audacter Xenophon in Ages. § 23 filum narrationis recipit, quod Agesilai in Phrygiam itinere commemorato reliquerat. Cum veram equitatus augendi causam, cladem apud Dascylium acceptam, in laudatione silentio praeterisset, haec molesta res ei his brevibus verbis exponenda erat: *ἐπεὶ μέντοι ἀνὰ τὰ πεδία οὐδὲ ἐν τῇ Φρυγίᾳ ἐδύνατο στρατεύεσθαι διὰ τὴν Φαρναβάζου ἱππείαν, ἔδοξεν αὐτῷ ἱππικὸν κατασκευαστέον εἶναι,*

ὡς μὴ δραπετεύοντα πολεμεῖν δέοι αὐτόν. His verbis extremis usus Xenophon ad Hellenicorum verba denuo accessit (III 4, 15). Quae ab exemplo differunt verbo solo finali inserto (αὐτόν), quod in Hellenicis deest. Quod pronomen in Agesilao non solum perspicuitatis maioris, verum etiam numeri causa est insertum. Quo fit, ut sententia versu Adoneo a Xenophonte, ut iam (p. 13) dixi, in Agesilao persaepe adhibito terminetur. In eadem sententia paucis verbis ante eundem finem animadvertimus: κατασκευαστέον εἶναι. Ex magna copia eorum, qui versu Adoneo terminantur, locorum nonnulla quidem exempla e primo capite sumpta afferamus:

I 2 καὶ τούτοις οὐκ ἰδιώταις,
ἀλλ' ἐκ βασιλέων βασιλεῦσιν (duo paroemiaci).
I 4 συνεχὴς βασιλεία.
I 6 τῆς βασιλείας.
I 8 ἀντιδιαβῆναι ἐπ' αὐτόν.
I 12 συντίθεσθαι ἑαυτῷ.
I 13 φανεροὶ ἐγένοντο.
I 23 ἱπποτροφεῖν κατέλεξε.
I 24 ἐρρωμένον ἦν καὶ ἐνεργόν (paroem.).
I 26 ἐργαστήριον εἶναι.
I 28 πρὸς τὸ μάχεσθαι.
I 29 ἐξαπατῆσαι.
I 32 ἄλλοι ἔφευγον.
ibid. ἁρπαγὴν ἐτρέποντο.
I 34 Ἕλλησι δύνασθαι.
ibid. Δελφοῖς δεκάτην ἀποθῦσαι (paroem.).
I 35 φέρεσθαι τὰ ἑαυτοῦ.
ibid. ἀφίσταντο πρὸς αὐτόν.
I 36 τούτοις τὸ μέγιστον.
ibid. τούτων ἐκρατήθη.

Pergamus! Discrepantiae, quae in Agesilai paragraphis sequentibus (24 sqq.) inveniuntur, generis plerumque rhetorici sunt. Cur quae in Hellenicis una verborum continuatione comprehensa sunt 'προειπὼν δέ, ὅστις παρέχοιτο ἵππον καὶ ὅπλα καὶ ἄνδρα δόκιμον, ὅτι ἐξέσται αὐτῷ μὴ στρατεύεσθαι, ἐποίησεν οὕτω ταῦτα συντόμως πράττεσθαι, ὥσπερ ἄν τις τὸν ὑπὲρ αὐτοῦ ἀποθανούμενον προθύμως ζητοίη, in laudatione in duas

enuntiationes (*προεῖπε . . . καὶ ἐποίησεν*) distracta sint, statim cognoscet, qui huius periodi structuram accuratius consideraverit: A a B b

A *Προεῖπε δέ, ὅστις παρέχοιτο ἵππον καὶ ὅπλα καὶ ἄνδρα δόκιμον,*
a *ὡς ἐξέσοιτο*
αὐτῷ μὴ στρατεύεσθαι,
B *καὶ ἐποίησεν οὕτως ἕκαστον προθύμως ταῦτα πράττειν,*
b *ὥσπερ ἄν τις τὸν ὑπὲρ αὑτοῦ ἀποθανούμενον προθύμως μαστεύοι.*

Qua narrationis forma oratio multo vividior fit ac fortior. Sic enim utraque sententia suam retinet gravitatem suumque momentum, ut recte ait Breitenbachius [1]). Scriptorem in hac periodo construenda ornamento rhetorico plurimum tribuisse parvae ab Hellenicorum textu discrepantiae, quae intra totam periodum inveniuntur, clare ostendunt. Itaque pro *ἐξέσται* scripsit *ἐξέσοιτο*, ut eundem finem quem eius quae antecedit vocis *παρέχοιτο* consequeretur. Itaque non scripsit *ὅτι ἐξέσοιτο*, sed *ὡς ἐξέσοιτο*, ut eundem ac vocis *ὥσπερ* respondentis sonum efficeret. Non minus egregie scriptoris consilium e quaesita vocis *προθύμως* repetitione in periodi parte altera apparet, qua re simul alliteratio (*προθύμως πράττειν*) fit. Re vera hoc loco repetitionem illius vocis esse quaesitam similes anaphorae ostendunt, quae in Agesilao ornamento rhetorico quaesito paene innumerabiles inveniuntur. Confer, ut e copia exemplorum nonnulla afferam, I 4 *οὐδεπώποτε φθονήσασα . . ., οὐδεπώποτε μειζόνων ὠρέχθησαν.* I 36 *ἄρχων μὲν παμπόλλων . . . πόλεων, ἄρχων δὲ καὶ νήσων.* II 16 *τὰ νόμιμα μὲν ἄρχειν, τὰ νόμιμα δὲ ἄρχεσθαι.* II 31 *οὐδέτερος λύσει . . ., οὐδέτερος παρέξει.* IX 5 *φεύγοντα μὲν θάλπη, φεύγοντα δὲ ψύχη.* Non exiguam partem ad exornandum verbum elegans et praecipue a poetis adhibitum (ab Hesiodo, Pindaro, Bacchylide, Aeschylo, Sophocle, Euripide) *μαστεύειν* confert, quod sane in Xenophontis ore est satis frequens. In Agesilao hoc verbum praeter eum locum iterum inveni (IX 3), in Anabasi tribus locis, in Cyropaedia uno loco, praeterea nonnunquam in scrip-

[1]) Quaestionum de Xenophontis Agesilao part. II. Vitebergae 1843, p. 2.

tis quae dicuntur minoribus, Oeconomico, Convivio, nullo autem Hellenicorum aut Memorabilium loco.

Haec paragraphus perspicue ostendit locum Hellenicorum congruentem iam adfuisse. Namque aliter causam commutationis haud scio an non explices.

Quibus dictis Agesilai § 24 nondum finita est, sed nonnulla verba de equitatu comparando, quo modo id factum sit, adiciuntur: *ἔταξε δὲ καὶ πόλεις, ἐξ ὧν δέοι τοὺς ἱππέας παρασκευάζειν, νομίζων ἐκ τῶν ἱπποτρόφων πόλεων εὐθὺς καὶ φρονηματίας μάλιστα ἂν ἐπὶ τῇ ἱππικῇ γενέσθαι.* Qui haec verba cum primis § 24 verbis (*προεῖπε κτλ.*) dissentire putat, veluti Hagenus[1]), is mea quidem sententia contextum narrationis non recte comprehendit: Agesilaus primo ditissimos in tabulas rettulit ad equos alendos, tum urbes constituit, ex quibus equites conferendi essent. Ne minima quidem hoc loco repugnantia est. Omnia optime inter se concinunt, neque quicquam secum pugnat neque idem bis dictum. Sane quidem ut explicemus restat, quo modo hoc in Agesilaum venerit, cum in exemplo non exstiterit. Quo iam nihil facilius est intellectu. Nemini dubium est quin Agesilaus valde collaudandus sit, quod tam brevi tempore tantum equitatum sibi comparaverit. Itaque fieri non potuit quin laudator illud iterum ac saepius laudibus efferret. Qui contentus non erat descriptione equitatus comparandi, quam invenit in Hellenicis, sed illud Agesilai facinus praedicare non desiit: *καὶ τοῦτ' οὖν ἀγαστῶς ἔδοξε πρᾶξαι, ὅτι κατεσκεύαστο τὸ ἱππικὸν αὐτῷ καὶ εὐθὺς ἐρρωμένον ἦν καὶ ἐνεργόν.*

Nunc quaero: laudationem hoc loco exemplum fuisse, ex quo Hellenicorum auctor hauriret, quis putet? An invenis, cur auctor Hellenicorum sententiam *ἔταξε δὲ καὶ πόλεις . . . γενέσθαι* omiserit?

Subsequitur inde ab Ages. § 25 longa pars, quae cum Hellenicorum textu nonnullis commutatis ad verbum congruit: Ages. I 25—32 = Hell. III 4, 16—24. Initium § 25 ab Hellenicorum textu paululum digreditur.

Hell. III 4, 16 *Ἐκ δὲ τούτου ἐπειδὴ ἔαρ ὑπέφαινε, συνήγαγε μὲν ἅπαν τὸ στράτευμα εἰς Ἔφεσον.*	Ages. I 25 *ἐπειδὴ δὲ ἔαρ ὑπέφαινε, συνήγαγε πᾶν τὸ στράτευμα εἰς Ἔφεσον.*

[1]) L. l. p. 18.

Vides hoc Agesilai loco denuo correctionem Hellenicorum textus. Annexio verbis *ἐκ τούτου* expressa supervacanea est, cum adiectione *ἐπειδὴ ἔαρ ὑπέφαινε* facta comparatio temporum iam satis aperte indicata sit. Non magis quam verba *ἐκ τούτου* particulam *μέν* exstare opus est, quod sententia iis quae subsequuntur verbis sensu contraria non est. Lectio sententiae insequentis haec est: *ἀσκῆσαι δὲ καὶ αὐτὸ βουλόμενος*. In Hellenicis *καὶ* deest. Neque habemus, quod a lectione optimi Agesilai codicis A, qui *καὶ αὐτὸ* (*δὲ* in margine addidit m. 2, quae particula coniunctionis causa hic exstare debet) praebet, digressi Hellenicorum lectionem substituamus. Sensu enim *καὶ* commendatur: antea de equitatu comparando multa verba facta sunt. Ita narratio continuatur: Agesilaus vere ineunte exercitum Ephesum duxit. Quem ipsum cum exercere vellet, praemia exposuit etc. Ut aliis verbis utar: Agesilaus non solum equitatum utilem sibi comparavisse satis habebat, sed etiam exercitum ipsum utilem esse volebat; itaque *ἀσκῆσαι δὲ καὶ αὐτὸ* (scil. *τὸ στράτευμα*) *βουλόμενος ἆθλα προὔθηκε κτλ.*

In eadem paragrapho verborum ordinem invenimus inversum: pro *ταῖς τε ὁπλιτικαῖς τάξεσιν, ἥτις ἄριστα σωμάτων ἔχοι, καὶ ταῖς ἱππικαῖς, ἥτις κράτιστα ἱππεύοι* scriptum videmus *καὶ ταῖς ἱππικαῖς τάξεσιν, ἥτις κράτιστα ἱππεύοι, καὶ ταῖς ὁπλιτικαῖς, ἥτις ἄριστα σωμάτων ἔχοι.* Quae inversio non librarii opera facta est, sed auctor ipse ordinem consulto invertit, cuius rei causam hanc esse credo. Paulo ante scriptor multa verba fecerat de equitatu comparando, itaque accommodatum ei videbatur hic ordines equestres primo loco commemorare, quod hoc in eorum qui audiunt auribus quodammodo resonabat. Ordo quidam cadens est: primum equites, tum milites gravis, denique levis armaturae. Sententia quae sequitur, in Agesilao non voce *ὅσοι*, sed *οἵτινες* incipit idque responsionis causa: *ἥτις . . . ἥτις . . . οἵτινες.* Cuius sententiae in fine cur optativus praesentis *φαίνοιντο* pro Hellenicorum aoristo *φανεῖεν* scriptus sit, facile intellegitur; id quoque responsionis causa factum est: tria membra argumento iungenda *ἱππεύοι — ἔχοι — φαίνοιντο* idem tempus praebere necesse erat.

Iam subsequitur insignis discrepantia ac gravis denuo rhetorici generis: *ἐκ τούτου δὲ παρῆν* |

τὰ μὲν γυμνάσια μεστὰ τῶν ἀνδρῶν γυμναζομένων,
τὸν δὲ ἱππόδρομον ἱππέων ἱππαζομένων.

Vides pulcherrimam in omnibus membris responsionem. Locus Hellenicorum (III 4, 16): *πάντα μεστὰ ἀνδρῶν τῶν γυμναζομένων, τὸν δ' ἱππόδρομον ἱππαζομένων* scriptorem, quem artem rhetoricam non repudiare iam vidimus, ut locum magis exornaret, adducere debebat. Complures figurae quae dicuntur Gorgianae in hac sententia eminent: parison (prior sententia ex sedecim, posterior ex quattuordecim syllabis constat), homoeoteleuton (*γυμναζομένων — ἱππαζομένων*), annominatio, quae verbo inserto *ἱππέων* clarius elucet (*ἱππόδρομον ἱππέων ἱππαζομένων*). Praeterea utraque sententia eundem finem numerosum praebet: molossum + choriambum (— — — | — ⏑ ⏑ —): *ἀνδρῶν γυμναζομένων, ἱππέων ἱππαζομένων.*

Denique finis huius paragraphi in utroque libro paululum digreditur:

Hell.: *τοὺς δὲ ἀκοντιστὰς καὶ τοὺς τοξότας μελετῶντας.*
Ages.: *τοὺς δὲ ἀκοντιστὰς καὶ τοὺς τοξότας ἐπὶ στόχον* [1]) *ἱέντας.*

Ut tota paragraphus magna eminet perspicuitate, ita his extremis verbis *ἐπὶ στόχον ἱέντας* rem descriptam invenimus tam vivide ac perspicue, ut qui legit eam quasi suis se putet videre oculis. Licet lectio Hellenicorum *μελετῶντας* simplicior ducatur, tamen nemo negabit in Agesilao descriptionem esse magis perspicuam atque apertam. Huc accedit quod Xenophon omnino circumlocutiones adhibere solet, ut ostendit H. Schachtius [2]).

In Agesilai § 26 (= Hell. III 4, 17) duae inversiones verborum sunt: pro *ἀγορὰ ἦν μεστὴ* legitur *ἀγορὰ μεστὴ ἦν* et pro *ἵππων καὶ ὅπλων* exstat in Agesilao *ὅπλων καὶ ἵππων*. Quarum priorem non sine consilio credo esse factam. Compluriens enim observari potest Xenophontem in Agesilao vocalis *η* coacervandae studiosissimum esse. Imprimis ei placuisse videtur verba sic collocare, ut vocales *η* una exstent, quin etiam id ip-

[1]) Cod. A praebet lectionem sensu carentem *ἐπὶ στοίχων ἱέντας*, quam correxit Wyttenbachius in *ἐπὶ στόχον ἱέντας* melius quam Schaefer in *ἐπὶ σκοπὸν ἱέντας.*

[2]) De Xenophontis studiis rhetoricis. Berolini 1890, p. 14.

sum utique quaesivisse videtur. Ita in eadem paragrapho paucis verbis ante scripsit: *τὴν πόλιν ἐν ᾗ ἦν θέας ἐποίησεν*, qui locus, cum sonus vocalis η in scriptoris auribus quodammodo resonaret, ad hanc inversionem nescio an aliquam partem contulerit.

Et eadem de causa et finis numerosi, choriambi, gratia Xenophon verba Hellen. IV 3, 17 *σιγὴ πολλὴ ἀπ' ἀμφοτέρων ἦν* invertit: Ages. II 10 *σιγὴ πολλὴ ἦν ἀπ' ἀμφοτέρων*. Item Ages. I 14 *ἀνάγκη ἦν*. Verbis collocatis *ἦν ἀνάγκη* hiatus esset vitatus. Videmus igitur Xenophontem effectum soni praetulisse fugae hiatus. Alii eiusmodi loci sunt: I 29 *τῇ δὲ τετάρτῃ ἡμέρᾳ*; I 36 *ἐπειδὴ ἦλθεν*; II 19 *ἅμα τῇ ἡμέρᾳ*; II 24 *ἐν τῇ . . . μάχῃ ἢ λειπομένων.*

Posterior huius paragraphi inversio (*ὅπλων καὶ ἵππων* pro *ἵππων καὶ ὅπλων*) sine certo scriptoris consilio effecta esse videtur, nisi eam librario tribuere malumus.

Subsequitur in eadem paragrapho insignis ac gravis discrepantia rursus causis rhetoricis[1]) facta, ex qua Xenophontis ratio clarissime cognosci potest. Pro *οἱ χαλκεῖς καὶ οἱ σκυτοτόμοι καὶ οἱ ζωγράφοι* in Agesilao legimus:

καὶ οἱ σιδηρεῖς
καὶ σκυτεῖς
καὶ γραφεῖς,

quo par sonus finalis efficitur, quo homoeoteleuti exemplo nullum est evidentius. Vox *σιδηρεῖς* pro Hellenicorum *χαλκεῖς* scripta est alliterationis causa: *σιδηρεῖς καὶ σκυτεῖς*.

In fine huius paragraphi commutationem invenimus constructionis grammaticae.

Hell.: *ὥστε . . . οἴεσθαι.*
Ages.: *ὥστε . . . ἂν ἡγήσω.*

Lectio Hellenicorum, quod infinitivo *οἴεσθαι* subiectum deest, valde difficilis est explicatu, optima autem in Agesilao lectio. Itaque cogitatio animum facile subit lectionem *οἴεσθαι* corruptam esse ex *φήθης ἄν*. Sin autem eam in Hellenicorum textu

[1]) Memorabile est, ut R. Foerster observavit, in libro [Aristidis] qui inscribitur *τέχνη ῥητορική* tot locos ex Agesilao afferri eosque maxime ex iis ipsis partibus, de quibus agimus.

priorem fuisse statuere malumus, ea ab auctore ipso edita non esse denuo clarissime apparet.

In Agesilai paragraphi insequentis (27 = Hell. III 4, 18) initio verba Hellenicorum *καὶ ἐκεῖνο* per synizesin contracta sunt in *κἀκεῖνο*. Omnino in Agesilao quattuordecim locis synizesis adhibita est, plerumque voculae *καί*. *κἀκεῖνος* praeter hunc locum bis invenitur: VIII 4 et 5. In Hellenicis 26 locis vocabulum *καὶ* cum formis pronominis *ἐκεῖνος* per synizesin contractum inveni, contra 12 locis non contractum. Videmus igitur Xenophontem in Agesilao eam inconstantiam vitare studuisse.

In eadem paragrapho hanc invenis commutationem: Hell. . . . *στρατιώτας ἐστεφανωμένους ἀπὸ τῶν γυμνασίων ἀπιόντας καὶ ἀνατιθέντας στεφάνους τῇ Ἀρτέμιδι*. Ages. . . . *στρατιώτας ἐστεφανωμένους τε, ὅπου ἀπὸ τῶν γυμνασίων ἴοιεν, καὶ ἀνατιθέντας στεφάνους τῇ Ἀρτέμιδι*. Hoc quoque Agesilai loco perspicuitatem cernimus multo maiorem quam in Hellenicis, ubi cumulatione trium participiorum (*ἐστεφανωμένους* . . . *ἀπιόντας* . . . *ἀνατιθέντας*) descriptio fit minus certa. Heilandius[1]) quae in Hellenicis exstant, simplicius dicta esse censet. Concedimus; sed quae in Agesilao scripta videmus, multo plus vigoris atque perspicuitatis praebent: ubicumque ex gymnasio exibant, coronis videbantur ornati.

Subsequitur singularis locus, ex quo Xenophontis ratio opusculi elaborandi clarissime perspici potest. Quo loco de ipsa paraphrasi cogitare licet, de translatione ex altero in alterum orationis genus facta, quod studium apud rhetores multum exercebatur. Textus Hellenicorum simplex commutatus est in concinnum atque comptum.

Hell. III 4, 18 *θεοὺς μὲν σέβοιντο, τὰ δὲ πολεμικὰ ἀσκοῖεν, πειθαρχεῖν δὲ μελετῷεν.*	Ages. I 27 *θεοὺς μὲν σέβοιεν, πολεμικὰ δὲ ἀσκοῖεν, πειθαρχίαν δὲ μελετῷεν.*

Iam Seyffertus[2]) animum attendit ad hunc locum his verbis usus: „Responsio ut quam plenissima sit, articulus *τὰ* ante *πολεμικά* omissus est, pro verbo *πειθαρχεῖν* substantivum *πειθαρχία* adhibitum est, pro *σέβοιντο σέβοιεν*, quod in sermone

---

[1]) In prolegg. edit. Ages. p. XII.

[2]) L. l. p. 5.

prosaico raro exstat, dictum est". Activum *σέβω* in Agesilao hoc solo loco exstat, cum reliquis locis (III 2; XI 1) *σέβομαι* legatur. Praeter hunc locum apud Xenophontem activum *σέβειν* exstat Mem. IV 4, 19. Ceteroquin haec forma prorsus poetica est usurpata ab Archilocho, tragicis, Aristophane. Videmus igitur Xenophontem studio homoeoteleutorum adductum esse, ut verbo poetico uteretur. Neque casu factum esse puto, ut tria enuntiata numerum crescentem syllabarum ostendant (6 : 8 : 9) ratione gradationi cogitationum convenienti. Agitur 1. de deorum metu, 2. de virtute bellica, 3. de oboedientia, pulcherrima omnium virtutum.

Subsequuntur duae in Agesilao commutationes, quae ad explicandam Hellenicorum atque Agesilai necessitudinem magni sunt momenti.

Hell. III 4, 19 . . . *ὁρῶντες οὖν οἱ στρατιῶται λευκοὺς μὲν διὰ τὸ μηδέποτε ἐκδύεσθαι, μαλακοὺς δὲ καὶ ἀπόνους διὰ τὸ ἀεὶ ἐπ' ὀχημάτων εἶναι ἐνόμισαν οὐδὲν διοίσειν τὸν πόλεμον ἢ εἰ γυναιξὶ δέοι μάχεσθαι.*	Ages. I 28 . . . *ὁρῶντες οὖν οἱ στρατιῶται λευκοὺς μὲν διὰ τὸ μηδέποτε ἐκδύεσθαι, πίονας δὲ καὶ ἀπόνους διὰ τὸ ἀεὶ ἐπ' ὀχημάτων εἶναι ἐνόμισαν μηδὲν διοίσειν τὸν πόλεμον ἢ εἰ γυναιξὶ δέοι μάχεσθαι.*

Iam accedamus ad priorem *μαλακοὺς* in *πίονας* commutationem tractandam. Nolo dicere scriptorem tam alliteratione (*πίονας δὲ καὶ ἀπόνους*) commotum hunc locum commutavisse quam eo consilio, ut sensum hac voce cum eleganti tum forti atque efficaci adhibita augeret. Fieri non potest quin usui huius vocis consilium auctoris ipsius antegressum sit; non est paraphrasis quae vulgo dicitur. Qui locus inter gravissima est argumenta, quibus appareat Xenophontem auctorem esse laudationis. Namque ubi gentium inveniri potest, qui hunc locum imitatus se cogi putarit voce *μαλακοὺς* in *πίονας* commutata sensum tantopere auctum in hunc locum imponere? Sane quidem *πίων*, illa vox poetica (usurpata praecipue ab Homero, Hesiodo, Tyrtaeo) et elegans, laudationi, in qua scriptor nonnunquam paulo magnificentius loquitur, aptissima est.

Idem in altera commutatione observamus: *ἐνόμισαν μηδὲν* (Hell.: *οὐδὲν*) *διοίσειν τὸν πόλεμον*. Hoc quoque loco commu-

tatione sensus magnopere augetur, cuius rei causa sola esse potest scriptoris ipsius consilium. Vocabulo *οὐδὲν* commutato in *μηδέν* scriptor verbo *ἐνόμισαν* ethicam quandam dare voluit notionem: aequum et iustum arbitrabantur non fore, ut hostes bellum sustinerent. Quae notionis amplificatio Hellenicorum lectionem *ἐνόμισαν οὐδὲν διοίσειν* plane deficit, quae verba simpliciter significant: putabant hostes bellum non sustenturos esse. Etiam hic quaero: Quisnam imitator commoveri poterat, ut sensum huius loci commutatione haud ita manifesta augeret? Quod ex solo consilio auctoris conceptionis primae, i. e. Xenophontis, natum esse potest.

Iam narratio in Hellenicis (III 4, 20) breviter intermittitur: comperimus interea annum praeterisse ex Agesilai in Asiam profectione, triginta, in his Lysandrum, domum navigavisse, in eorum locum alios successisse. Nomina singulorum ducum enumerantur, quibus Agesilaus potestates distribuit. Quae omnia laudator, cum aliena a se putaret, praetermisit.

Laudationis narrationem Xenophon ad Hellenicorum verbum *προεῖπεν (αὐτοῖς)* adiungit, quod ipse paulo ante scripserat: *προεῖπε τοῖς κήρυξι.* Itaque scribere pergit: *προεῖπε καὶ τοῦτο τοῖς στρατιώταις ὡς εὐθὺς ἡγήσοιτο κτλ.* De ipsa forma quidem primo obtutu Seyfferto[1]) parva annexionis indiligentia concedenda est. Antea enim exstant, ut dixi, verba *προεῖπε τοῖς κήρυξι*, tum sequitur: *προεῖπε καὶ τοῦτο τοῖς στρατιώταις*, quasi etiam antea dicta essent verba *προεῖπε τοῖς στρατιώταις.* In Hellenicis rursus verba ad prorsus alios pertinent, ad duces antea commemoratos: *προεῖπε αὐτοῖς.* Re autem ipsa ne minima quidem repugnantia est inter utrumque librum. Namque ea, quae in Hellenicis Agesilaus ducibus praedicit, non minus ad milites ipsos spectant, ut eodem iure etiam militibus potuerit praedicere.

Sed in ipsa quoque laudatione omnia optime quadrant: omnis indiligentia quae videtur a Seyfferto Xenophonti Agesilai auctori obiecta vel ea de causa hoc loco statim desinit esse, quod verbum *προειπεῖν* utroque loco diversam habet notionem: priore significat 'praecipere', posteriore 'praedicere'.

---

[1]) L. l. p. 6.

Itaque Xenophonti crimini dare, quod „parum accurate" „annexionem non tam logicam quam rhetoricam adhibuerit" (Seyffert p. 6 et 7), iniustum est, quia locos, de quibus agitur, inter se conferre propter diversitatem sensus omnino non licet.

Commutatio in fine eiusdem paragraphi facta (*οὕτω* in *αὐτῷ*) rursus correctio est exempli, qua tautologia Hellenicorum vocibus *αὐτόθεν οὕτω* exorta tollitur; in Agesilao autem pronomen *αὐτῷ* (scil. *Ἀγησιλάῳ*) aptissimum est. Similis est causa commutationis insequentis: *καὶ τό τε πεζὸν* commutatum in *τό τε οὖν πεζὸν* cumulationis particularum *καί — τε* vitandae causa.

In eadem paragrapho rursus homoeoteleuti gratia discrepantia est: pro *ἐνέβαλε* legimus in Agesilao *ἐχώρησε*. Paucis verbis enim ante scriptum videmus *κατέστησε*, itaque sequitur *ἐχώρησε*.

Proximae discrepantiae (*παρεῖχε* pro *εἶχε*) causa posita est in alliteratione quaesita litterae *π*, quam iam compluribus locis animadvertimus: *καὶ τρεῖς μὲν ἡμέρας δι' ἐρημίας πολεμίων πορευόμενος πολλὰ τὰ ἐπιτήδεια τῇ στρατιᾷ παρεῖχε.* Simul commutatione hiatus (*στρατιᾷ εἶχε*) vitatus est, qua quidem causa scriptor, ut commutaret, haud scio an non sit commotus.

Sub finem huius paragraphi vox *ἡμέρᾳ* inserta est eo, ut est verisimile, consilio, ut sonus *η* vocalis augeretur: *τῇ δὲ τετάρτῃ ἡμέρᾳ ἧκον κτλ.* Compluribus laudationis locis observare possumus vocales quasdam consulto cumulari (v. supra p. 16 et 24 sq.).

In Agesilai § 30 (= Hell. III 4, 22) insertum est *ὁ ἡγεμών*, quae verba ad intellegendum prorsus necessaria sunt, cum hoc loco necessario commutatio subiecti ponenda sit[1]). Itaque statuere licet verba *ὁ ἡγεμών* in codicibus Hellenicorum aliquo casu excidisse.

---

[1]) Cf. Ed. Meyer, Theopomps Hellenika. Halle 1909, p. 6, 1: „*ὁ ἡγεμών* steht nur im Agesilaus I 30, ist aber auch in den Hellenika nicht zu entbehren, da der Satz sonst unvollständig ist. Denn es ist sprachlich wie sachlich unmöglich, die Anordnungen über das Lager etwa auf Agesilaus zu beziehen: dieser merkt ja erst durch den Überfall, dass die Feinde da sind, und trifft dann seine Anordnungen, und das Lager ist eben das, welches die Griechen nachher erobern und plündern".

In hac paragrapho tractanda est afferenda digressio non levis.

Hell. III 4, 22 . . . *αὐτοὶ δὲ κατιδόντες τοὺς τῶν Ἑλλήνων ἀκολούθους ἐσπαρμένους εἰς ἁρπαγὴν πολλοὺς αὐτῶν ἀπέκτειναν.*

Ages. I 30 . . . *αὐτοὶ δὲ κατιδόντες τοὺς τῶν Ἑλλήνων ἀκολούθους ἐσπαρμένους καθ᾽ ἁρπαγὴν πολλοὺς αὐτῶν ἀπέκτειναν.*

Quod iam alibi (§ 11 [p. 9] et § 28 [p. 27]) vidimus Xenophontem Hellenicorum locum inanibus quibusdam verbis in fortiora et rerum condicioni magis convenientia commutatis magnopere auxisse, idem hoc loco observamus, qui valde amplificatur praepositione *εἰς* in *κατὰ* rei multo magis congruentem commutata. Antecedit verbum *σπείρεσθαι*, post quod praepositio *κατὰ* usitata est actionem distributivam, quae inest in hoc verbo, multo magis perspicue exprimens quam notio indifferens praepositionis *εἰς* [1]). Huc accedit alia causa ad hanc ipsam praepositionem eligendam. Iam supra (§ 16 [p. 18]) ostendimus Xenophontem in Agesilao verba eiusdem vel similis originis, praecipue praepositiones, parvo spatio componere solere, cuius rei testimonia loco laudato satis magna attuli. Quod idem in hunc locum cadit: *αὐτοὶ δὲ κατιδόντες τοὺς τῶν Ἑλλήνων ἀκολούθους ἐσπαρμένους καθ᾽ ἁρπαγὴν πολλοὺς αὐτῶν ἀπέκτειναν.*

In eadem paragrapho Xenophon in Agesilao articulo ὁ ante *Ἀγησίλαος* inserto figuram *ἰσοκώλου* effecit, i. e. periodum, cuius membra ex pari syllabarum numero constant:

αἰσθόμενος δὲ ὁ Ἀγησίλαος (11)
βοηθεῖν ἐκέλευσε τοὺς ἱππέας (11).

Magnus est in Agesilao exemplorum numerus huius figurae rhetoricae, quorum nonnulla afferam:

V 3 *ἐν μὲν τῷ θέρει τοῦ ἡλίου* (9),
ἐν δὲ τῷ χειμῶνι τοῦ ψύχους (9).

Apertissime autem id Xenophontis studium apparet eo loco, quo Agesilaus cum Persarum rege comparatur: IX 1, quo loco duo isocola subsequentia simul concentum exituum praebent (isocolon + homoeotel.):

---

[1]) Cf. Anab. VI 5, 28 *τὸ μὲν εὐώνυμον . . . διεσπάρη, καθ᾽ ὃ οἱ Ἕλληνες ἱππεῖς ἦσαν.*

πρῶτον μὲν γὰρ ὁ μὲν τῷ σπανίως ὁρᾶσθαι ἐσεμνύνετο (18),
Ἀγησίλαος δὲ τῷ ἀεὶ ἐμφανὴς εἶναι ἠγάλλετο (18),
νομίζων αἰσχρουργίᾳ μὲν τὸ ἀφανίζεσθαι πρέπειν (16),
τῷ δὲ εἰς κάλλος βίῳ τὸ φῶς μᾶλλον κόσμον παρέχειν (16).

Saepius invenitur ea, quae *ἰσοκώλῳ* propinqua est, figura *παρίσου*, i. e. periodus, cuius membra ex syllabarum numero paene pari constant, velut I 3

ἀλλ᾽ ὥσπερ τὸ γένος αὐτῶν τῆς πατρίδος ἐντιμότατον (17),
οὕτω καὶ ἡ πόλις ἐν τῇ Ἑλλάδι ἐνδοξοτάτη (16),
ὥστε οὐ δευτέρων πρωτεύουσιν (10),
ἀλλ᾽ ἡγεμόνων ἡγεμονεύουσιν (11).

Ex magna copia gravissima tantum exempla ad verbum afferre liceat, velut IX 3

πᾶν μὲν τὸ παρὸν ἡδέως ἔπινε (11),
πᾶν δὲ τὸ συντυχὸν ἡδέως ἤσθιεν (12),

ubi simul cernis exemplum anaphorae.

Exemplum notabile, quo optime ostenditur, quantopere Xenophon in Agesilao eiusmodi figuras in deliciis habuerit, est X 1:

ταῦτα γὰρ οὐχ ὥσπερ εἰ θησαυρῷ τις ἐντύχοι (14),
πλουσιώτερος μὲν ἂν εἴη (9),
οἰκονομικώτερος δὲ οὐδὲν ἄν (11),
καὶ εἰ νόσου δὲ πολεμίοις ἐμπεσούσης κρατήσειεν (17),
εὐτυχέστερος μὲν ἂν εἴη (9),
στρατηγικώτερος δὲ οὐδὲν ἄν (10).

Membra huius periodi respondentia hunc syllabarum numerum exhibent: 14 : 17, 9 : 9, 11 : 10.

Non minus fere notabilis est locus VI 5:

ψέγειν μὲν οὐ δυναμένους (8),
μισεῖν δὲ ἀναγκαζομένους (9),
ibid. *ἐξαπατῶν μὲν ὅπου καιρὸς εἴη* (11),
φθάνων δὲ ὅπου τάχους δέοι (9),
λήθων δὲ ὅπου τοῦτο συμφέροι (10).

Praeterea hanc figuram invenis: I 2, I 22, I 34, II 30, IV 1, V 3, VII 2 etc. Imprimis caput XI earum figurarum plenum est, cum in unaquaque fere paragrapho exempla eius generis complura simul inveniantur.

In Agesilai § 31 legimus *ἐπὶ τοὺς ἀντιτεταγμένους* pro *ἐπὶ τοὺς παρατεταγμένους* (Hell. III 4, 23), id quod rursus soni efficiendi causa factum esse credo. Sonus durus litterae *τ* quater repetitae (*τοὺς ἀντιτεταγμένους*) quodammodo aptus est ad res pingendas. In ceteris haec paragraphus cum Hell. III 4, 23 plane congruit.

At contra subsequitur iam in proximae paragraphi (32) initio locus, qui paululum ab Hellenicis digreditur. Hellen. III 4, 24 legimus: *τοὺς μὲν δὴ ἱππέας ἐδέξαντο οἱ Πέρσαι*, in Agesilao exstant verba: *τοὺς μὲν δὴ ἱππέας ἐδέξαντο οἱ ἀγαθοὶ τῶν Περσῶν.* Hoc quoque loco descriptio exactior in Agesilao exstat, quae amplificatio rursus aliter explicari non potest nisi ex auctoris consilio. Commutatio correctio quaedam est exempli.

Iam nos convertamus ad Agesilai ab Hellenicis discrepantiam, quae viros doctos usque ad hunc diem iterum iterumque occupavit et causa fuit diversissimarum sententiarum, de quibus infra uberius disseremus: dico singularem rem, quod omnibus locis, quibus Hellenica verbum *ἀκολουθεῖν* vel compositum praebent, in Agesilao verbum *ἕπεσθαι* vel compositum exstat. Hi loci sunt:

Hell.	III 4, 24	:	Ages.	I 32
„	IV 3, 3	:	„	II 2
„	IV 3, 5	:	„	II 3
„	IV 3, 19	:	„	II 12.

Qua in causa haec singularis res posita est? Age inspiciamus primum locum:

Hell. III 4, 24 *οἱ δ' Ἕλληνες ἐπακολουθοῦντες*

Ages. I 32 *οἱ δ' Ἕλληνες ἑπόμενοι.*

In fine paragraphi, quae praecedit, et in Hellenicis et in Agesilao legimus: *ὡς αὐτοῦ καὶ παντὸς τοῦ στρατεύματος ἑπομένου.* Iam in voce *μείων* tractanda (Hell. *ἐλάττων*) vidimus (p. 16) Xenophontem in Agesilao, ubi primum vocem quandam usurpavit, nunquam ab ea discedere. Eodem modo hic rem se habere opinor: cum Xenophon paulo ante verbo *ἕπεσθαι* usus sit, etiam in paragrapho, quae sequitur, nec non omnibus aliis locis, quibus verbum significans „sequi“ exstare opus est,

in hoc verbo adhibendo perseveravit. Praeterea causae rhetoricae plerumque accedunt, quibus adductus est, ut hoc ipsum verbum usurparet.

Utile erit huic loco etiam reliquos adiungere et de iis quaestionem instituere. Proximus locus est Hell. IV 3, 4 *ἐπακολουθοῦντες*: Ages. II 2 *ἑφεπόμενοι*. Plena in Agesilao sententia haec est: *Λαρισαῖοι μὲν καὶ Κραννώνιοι καὶ Φαρσάλιοι σύμμαχοι ὄντες Βοιωτοῖς καὶ πάντες δὲ Θετταλοὶ . . . ἐκακούργουν οὗτοι ἑφεπόμενοι.* Iam te intellegere existimo, qua de causa hoc loco verbum *ἐπακολουθοῦντες* commutatum sit in *ἑφεπόμενοι*. Cum omnia nomina enumerata in *-οι* exeant, pro *ἐπακολουθοῦντες* flagitatur participium eundem in modum desinens. Quae opinio confirmatur alia eiusdem generis commutatione huius paragraphi: Hell. *ἐκακούργουν αὐτὸν ἐπακολουθοῦντες*, Ages. *ἐκακ. οὗτοι ἑφεπόμενοι.* Hoc optimus codex A praebet. Quae Breitenbachius[1]) de hoc loco dicit: „Notissimum hoc dicendi genus imprimis convenit oratori, quae antecesserunt, pronomine *οὗτοι* apte comprehendenti", quamvis recte dicta sint, tamen causam commutationis acu non tangunt. Auctoris consilium parum intellexit Richardsius[2]), qui Hellenicorum lectionem *αὐτὸν* in Agesilai textum recipi voluit, quem secutus est, qui nuperrime laudationem Agesilai edidit, Th. Thalheim; item coniectura Hermanni Sauppe[3]) *αὐτῷ* auctoris consilio repugnat. Denuo igitur videmus Xenophontem maxime consectatione homoeoteleutorum esse adductum, ut ab Hellenicorum verbis digrederetur. Eiusmodi rationes in verbis eligendis re vera ei fuisse cum copia exemplorum homoeoteleutorum supra (p. 5sq.) allatorum ostendit tum is qui paulo post sequitur in eadem paragrapho locus, quo commutationem nulla alia re contineri omnes mihi concedent, nisi quod nomen et participium pari exitu inter se congruere voluit auctor: *οἱ Θετταλοὶ ἐπιτιθέμενοι* pro *οἱ Θετταλοὶ ἐπελαύνοντες.* Ut videas etiam alibi tales causas ad verbum eligendum aliquid valuisse, conferas velim Hell. IV 6, 2,

---

1) L. l. p. 3.

2) The Classical Review 11 (1897), 337.

3) Philologus 55 (1896), 179.

ubi res se habet vice versa: *ἡμεῖς . . . συστρατευόμεθα καὶ ἑπόμεθα*, quamquam in Hellenicis verbum *ἀκολουθεῖν* multo est frequentius.

Proximus exstat hic locus: Hell. IV 3, 5 *ἐπηκολούθουν*, Ages. II 3 *ἐφείποντο*. Hic quidem causa non tantopere apparet, consentaneum autem est scriptorem sibi constare verbo *ἀκολουθεῖν* per totum librum se abstinentem.

Denique affero Hell. IV 3, 19 *ἀκολουθοῦντι*, Ages. II 12 *ἑπομένῳ*. Tota in Agesilao sententia est: *ἐξὸν γὰρ αὐτῷ . . . ἑπομένῳ*. Vides eandem quam supra (p. 33) invenimus commutationis causam: *ἑπομένῳ* pari fine consentit cum *αὐτῷ*, ad quod pertinet.

Videmus ex his quattuor locis duos certissime ex ornatu rhetorico explicari. Accedit quod *ἕπεσθαι* in Xenophontis ore multo usitatius est quam *ἀκολουθεῖν*.

Reliqua propediem edentur in commentationum,
quae inscribuntur
Breslauer Philologische Abhandlungen
fasciculo 46.

Vita.

Natus sum Alfonsus Opitz die XX mensis Novembris anno 1886 in vico regionis Ohlaviensis, cui nomen est Hermsdorf, patre Augustino, quem morte mihi ereptum valde lugeo, matre Carolina e gente Seifert. Fidei addictus sum catholicae. Undecim annos natus gymnasium ad St. Matthiam Vratislaviense adii, quod per novem annos frequentavi. Anno 1907 maturitatis testimonio instructus hanc universitatem Vratislaviensem petii litteris philologicis operam daturus.

Ubi me docuerunt hi professores clarissimi: Baumgartner, Bohn †, Cichorius, Ebers, Foerster, Franz, Gercke, Hönigswald, Kampers, Koch, Kühnemann, Preuss, Scheer, Schrader, Seger, Siebs, Skutsch †, Stern, Wendland, Ziegler, Ziekursch.

Secundo semestri ad proseminarii philologici exercitationes admissus sum; autumno anni 1910 mihi contigit, ut in seminarium philologicum reciperer, cuius exercitationibus per tria semestria interfui Foerstero Gerckio Skutschio moderantibus. Praeterea adii exercitationes archaeologicas, quas Foerster, historicas, quas Cichorius Kampers Preuss, philosophas, quas Baumgartner, palaeographicas, quas Ziekursch instituerunt.

Cum horum omnium virorum clarissimorum pio atque grato animo reminisci nunquam desinam tum Richardo Foerster, praeceptori meo, quantam gratiam debeam, semper mihi conscius ero, quo auctore hoc opusculum conscribere suscepi quoque semper summa cum liberalitate et humanitate in eo componendo adiuvante ut id conficerem mihi contigit.

Typis Maretzke et Maertin, Trebniciae Sil.